

tur per illud cap. Ut animarum, de constitutionibus lib. 6. Quia statutum de quo illud capitulum loquitur, excommunicabat fures, & tamen non excommunicabat ignorantes, quamvis furum esset lege divina prohibentem. Nec valet argumentum Scoti, quia per illud solum probatur, illum non excusari a peccato, quod est contra legem divinam: sed non probat quod non excusetur a pena, quia statutum humanum quod penam imponit, poterat invincibiliter ignorare, quia humanum. Forte contra hanc primam propositionem quis objiciet id, quod dicitur de regulis juris lib. 6. Ignorantia facti non juris, excusat. Sed regula illa nihil contra mater primae propositionis sententiam asserit, quia de re valde diversa differit. Nam illa regula solum loquitur de excusatione facienda in foro contentioso, in quo saepe secundum solam juris praesumptionem agi solet, unde frequenter evenire solet, ut Judices in sententis ferendis saepe fallantur, quia ex sola juris praesumptione judicant. Mea vero propositio (ut in declaratione secunda principalis conclusionis praemonui) loquitur de excusatione in foro conscientiae, in quo non praesumptiones, sed per plenam veritatis cognitionem rem omnem desinere oportet. Et inde evenit (ut supra dixi) ut aliqui apud Deum sint excusati, qui apud Judices humanos non excusantur. Potest enim contingere, ut quis legem aliquam novam, post elapsos duos menses ab illius proclamatione, & divulgatione, sine culpa sua ignoret; quia licet sit in civitate, est tamen ab hominum tumultu sequestratus, & circa alia multo meliora studia occupatus: & ideo nihil unquam audivit de re illa, quamvis aliquando eos qui per civitatem vagantur, interrogaverit, an aliquid novum contigerit, quod sit contra dignum Jus praesumit hunc scire legem illam novam, propterea quod in eadem civitate in qua ille moratur, fuit publicata, & duo menses post illius publicationem sunt elapsi. Sed re vera ille sine culpa sua ignorat, quia nec affectatam, nec crassam, nec supinam habet ignorantiam, & ideo apud Deum est excusatus. Deinde, si quis contenderit, illam juris regulam esse etiam de excusatione apud Deum, & in foro conscientiae intelligendam, ne pro hac re contendamus, dicam illam non de omni juris ignorantia, sed de sola ignorantia vincibili esse intelligendam, quae nec apud Deum, nec apud homines excusat a peccato, & per consequens nec a pena. Quoniam ignorantia vincibilis (ut superius in principio hujus capitis declaravimus) est illa, quam aliquis vincere potest, faciendo id quod facere debet ad discendum. Ille autem, de quo in casu proximo loquimur sumus, invincibilem legis novae ignorantiam habebat, & ideo sicut apud Deum est excusatus, ita excusabitur apud Judices humanos, si illis suam potuerit ignorantiam persuadere. Nam illa praesumptio qua quilibet praesumitur scire legem post duos menses a publicatione illius (ut dicit Abbas in capitulo secundo de constitutionibus) non est juris & de jure, sed contra illam admittitur probatio. Qualiter autem quis suam possit ignorantiam probare, varia est inter Jurisperitos sententia, de qua re optime differit Abbas in illo capitulo secundo de constitutionibus. Communior Jurisperitorum sententia est (ut mihi videtur) ignorantiam posse probari per juramentum, praesertim quando est aliqua verisimilis conjectura, quae suadet verum esse quod jurat. Nam hanc sententiam docet Petrus Ancharranus in cap. Nulli licere, numero quinto de electione, lib. 6. & citat Archidiaconum eodem loco idem dicentem: & eandem sententiam iterum asserit in cap. Ut circa, numero septimo, eodem titulo & libro. Cardinalis Zabarella in Clementina de consanguinitate

te & affinitate, quaestione 8. hanc etiam sententiam tueretur, & citat Laurentium quemdam idem docentem, & hac ratione motum, quod cum agatur de re secreta, & quae intra ipsum hominem in cordis penetralibus latet, non potest per testes probari, sed per solum juramentum. Joannes de Imola in eadem Clementina hanc sententiam amplectitur eadem ratione motus, quia Laurentius ille: & citat Guillelmum quemdam, & nescio quem Stephanum, eidem sententiae faventes. Abbas in capitulo citato, & si hoc Judicis arbitrio committat, citat tamen Antonium de Butrio, dicentem ignorantiam optime probari juramento, si adit verisimilis conjectura, quae possit utcumque juramentum adjuvare. Glossa in cap. Proposuit, 82. distinctione, eandem sententiam tueretur. Denique glossa in cap. Eos qui, de etate, & qualitate, & ordine praeficiendorum, libro sexto, haec opinioni favet, sed addit quod contra juramentum potest probari scientia per probabiles conjecturas. Sed hoc ultimum hujus glossae dictum non mihi placet, nisi conjecturae essent nimium violentae, & adeo aperte & manifestae, ut rem ipsam quasi indice demonstrare videantur. Nam alias magis existimo credendam esse juramento, quam mediocribus conjecturis, quia non est facile credendum esse aliquem suae salutis tam immensorem, ut pejorare velit. **Secunda propositio.** Invincibilis ignorantia facti excusat a peccato, quod ratione rei ignoratae provenire potest, si illa esse perfecte cognita. Pro clariori intelligentia hujus propositionis oportet revocare ad memoriam id quod supra dixi, multas in eodem facto posse contingere ignorantias. Si id quod ignoratur tale est, ut ab ipso solo pendat tota malitia operationis, tunc illa ignorantia excusabit operantem a toto peccato. Hoc modo excusatur Patriarcha Jacob a peccato dormiens cum Lia, quia patavir illam esse Rachel, quae sibi fuerat data in uxorem. (Gen. 29.) Si sciens illam non esse Rachel, coivisset Jacob cum Lia, quae erat aliena, peccasset ex hoc solo quod ad alienam accessisset: cum igitur ignoraverit illam esse suam, merito excusatur a toto peccato, quia ab illo solo tota peccati malitia pendebat. Si id quod ignoratur, tale est, quod ab illo non tota malitia pendet, sed solum aliqua malitiae circumstantia, quae peccatum augere potest, tunc ignorantia non excusabit a toto peccato, sed solum ab illa gravitate peccati pendente ex circumstantia ignorata. Ut, grana exempli, si quis ex ira occideret Sacerdotem aliquem, ignorans illum esse Sacerdotem, & si sciret, non occidisset, talis ignorantia est invincibilis sit, non excusat a peccato homicidii, quia is qui occidit, vere scivit illum esse hominem: sed excusat a tota facilligii circumstantia, quia ille invincibiliter ignoravit illum esse Sacerdotem. Si quis etiam coiret cum aliqua moniali, nesciens illam esse monialem, quod si sciret, nullatenus illi carnaliter misceretur, talis ignorantia, quamvis sit invincibilis, non excusat a peccato fornicationis: quia ille qui sic cum moniali coivit, bene scivit illam non esse uxorem suam: sed excusatur a tota circumstantia sacrilegii, aut incestus, quia invincibiliter ignoravit esse monialem. Haec propositio probatur eodem argumento, quo primam probavimus. Nihil enim potest esse peccatum, nisi sit voluntarium: id quod procedit ex ignorantia invincibili non est voluntarium: ergo illud non est peccatum. Dicitur autem esse involuntarium id, quod ab ignorantia procedit, non quidem propterea quod illud non sit volitum, quia vere est volitum: Sed dicitur involuntarium, quia est contra volitionem, aut nolitionem, quae haberetur sine tali ignorantia. Ex quo

sequitur illud non esse voluntarium sub illa ratione qua ignoratur. Et inde ulterius sequitur, ut tantum aliqua operatio excusetur a peccato, quantum habet de ignorantia, & per consequens de involuntario. Si id totum, a quo peccati malitia pendet, fuerit invincibiliter ignoratum, tunc (ut dixi) ignorans excusabitur a tota malitia peccati. Si vero id, a quo non tota, sed solum partialis malitia pendet, invincibiliter ignoratur, tunc ignorans excusabitur non a tota peccati malitia, sed ab illa sola quae pendebat ex illa circumstantia ignorata. Quia tantum praecise habet de excusatione peccati, quantum habet de invincibili ignorantia, & non amplius nec minus. **Nec refert** quatenus ad hanc rem spectat, an sic ignorans det operam rei licitae, an illicitae: quia si ignorantia est invincibilis (ut optime docet S. Thomas in prima secundae, quaest. 76. art. 3.) semper excusat a toto peccato, quod provenit ab illo, quod ignoratur, si fuisset plene cognitum. Et eodem loco Cajetanus egregie annotavit illam B. Thomae sententiam esse universaliter intelligendam, sive ignorans det operam rei licitae, sive illicitae. Quia cum utrobique (ut ille ait) sit eadem causa, puta ignorantia invincibilis & inculpabilis, oportet ut utrobique sit involuntarium: & inde ulterius necessario sequitur, ut etiam utrobique sit excusatio totius peccati, quod provenit ab illo ignorato, si bene cognoscere poterit. Differentia enim quae in materia de ignorantia poni solet inter illum qui vacat rei licitae, & qui dat operam rei illicitae, solum habet locum, quando uterque illorum habet vincibilem ignorantiam indirecte volitam, prout est ignorantia crassa aut supina. Nam ignorantia directe volita, qualis est ignorantia affectata, eandem habet scientiam conditionem, & idem operatur, quod operaretur scientia, si adesset. Hoc annotat glossa in cap. Eos qui, de etate, & qualitate, & ordine praeficiendorum, lib. 6. Et post glossam idem asserunt Petrus de Ancharrano, & Dominicus in eodem loco. Et de hac ignorantia dicit B. Thomas in quaestione praedicta, art. 4. quod talis ignorantia potius auget peccatum, quam excuset, quia talis ignorantia non diminuit de voluntario, sed auget illud. Nam ex nimia voluntate peccandi oritur quod aliquis velit ignorare, ne per scientiam revocetur a peccato. Sola igitur ignorantia crassa aut supina est, quae non potest ignorantem excusare a peccato. Et in hac facti ignorantia diligenter considerare oportet, an is qui ex tali ignorantia aliquid malum agit, det operam rei licitae, an illicitae: quoniam aliquid inter unum & alterum interest. Nam malum, quod ex ignorantia vincibili, hoc est crassa & supina, fit ab eo qui dat operam rei licitae, non est per se voluntarium, sed tantum per accidens. Quia malum illud non per se & necessario, nec ut in pluribus oritur a bona illa re, cui operam dabit. Malum enim nunquam ex natura sua oritur a bono, sed tantum per accidens. Malum ergo illud est solummodo volitum in ignorantia unde oritur, quae etiam non est directe volita, sed interpretative, quia nolit adhibere diligentiam, quam tenebatur. Et quia magna est illic diminutio voluntarii, ideo oportet, ut magna etiam sit excusatio peccati. Est enim tanta, ut malum illud non permittat manere in eadem specie peccati, in qua fuisset, si ex scientia fieret. Ut, exempli gratia, si Jacob quando dormivit cum Lia, quae non erat sua, ignoraret ex crassa ignorantia illam non esse suam, ut puta quia ancilla aliqua foeci sui admoneret de illatione futura, & ex negligentia noluit explorare lectum, tunc Jacob dormiens cum Lia, non fuisset omnino excusatus a peccato, quia revera peccasset: sed fuisset excusatus a peccato for-

nicationis, propterea quod dabit operam rei licitae. Non enim diceretur Jacob commississe fornicationem, quia non fuit ab eo per se volita, nec intenta. Quod ex eo convinci potest, quod si ille scivisset non esse suam, non accessisset ad illam. Et sicut ille excusaretur a peccato fornicationis, aut adulterii, aut incestus, ita excusaretur a pena, quae propter aliquod horum criminum esset a jure imposita. Nam si alicui uxorem habenti modo ex ignorantia crassa contingeret, quod olim ex ignorantia invincibili Jacob, (Genes. 29.) non posset illum uxor a thoro propter adulterium repellere, ut dicitur in cap. In lectum mariti 34. quaestione tertia. Quia etsi peccasset, non tamen peccato adulterii, sed solum peccato negligentiae, quae fuit ab illo interpretative volita. Peccatum autem adulterii erat necessarium, ut uxor juste posset illi debitum negare. Idem profus dicendum erit de illo, qui vacans jurae venationis occidit hominem ex ignorantia crassa, putans illum esse feram, quia debuit non adhibere diligentiam. Ille enim etsi peccasset occidendo, non tamen peccato homicidii, quia ille non intendit occidere hominem, sed praeter intentionem & praeter spem evenit. Quae autem praeter intentionem, & per accidens eveniunt, non eisdem censeri debent nominibus, quibus censentur ac si essent per se volita. Et sicut in istis aut aliis similibus causis ille excusatur ab specie peccati, ita excusatur ab ea juris pena, quae propter talem peccati speciem est a jure decreta. Ex quo sequitur, ut si ille sic occisus esset clericus, is qui illum occidisset, non esset excommunicatus, quia talis excommunicatio non per quolibet peccato, sed pro vera clerici percussione, quae dolum habet, infligitur: ut patet in cap. Si quis suadente 17. q. 4. Non tamen excusaretur ab irregularitate, quia illa (ut supra dixi) non requirit propriam speciem peccati, sed solum homicidii operationem, quae si est a persona privata, ut irregularitatem inducat, semper debet habere aliquam peccati malitiam secum connexam. Nam qui omnino excusatur a peccato, etiam est excusatus in jure a pena irregularitatis ex hujusmodi homicidio provenientis: & qui non omnino excusatur a peccato, etiam non excusatur ab irregularitate. Similis enim casus habetur in cap. Ad audientiam, de homicidio voluntario, ubi is qui praeter intentionem occidit, dans operam rei licitae, non excusatur ab irregularitate, quia eam quam tenebatur, non praestitit diligentiam, ut homicidium vitaret. **Longe aliter sentire oportet de illo, qui dans operam rei illicitae, facit malum ex crassa aut supina ignorantia.** Nam malum quod ille ex tali ignorantia facit, non est ab illo per accidens, sed per se volitum. Quia aperte volebat rem illam illicitam, cui operam dabit: & volens illam, eo ipso censetur velle id, quod per se & necessario sequitur ex illa. Et inde sequitur, ut ignorantia crassa istius non adeo diminuat de malitia operis, ut valeat illud transferre de una specie peccati in aliam, sed permittit illud in propria specie peccati, in qua collocaretur, si esset ex industria factum. Sed licet in eadem specie illud permittat, aliquid tamen diminuit de illa malitia, quam haberet, si ex industria fieret. Ut, gratia exempli, si Petrus accedat ad meretricem, quam ex ignorantia crassa ignorat esse suam consanguineam, peccabit non solum peccato simplicis fornicationis, sed peccato incestus, sicut peccaret, sciens illam esse consanguineam. Sed incestus ille non induit tantam malitiam, quantum induisset, si scivisset consanguinitatem, quae est inter illos. Quia ex hoc quod ille dabit operam rei illicitae, evenit, ut ignorantia illa crassa, licet valeat aliquantum peccati malitiam minuire, non tamen tantum,

autem potest multipliciter contingere propter majorem aut minorem criminis occultationem. Est enim aliquod omnino occultum, quod distinguitur contra probabile, & tale non sic dicitur, propterea quod a nemine sciatur, sed quia non potest legitime in iudicio probari. Nam si aliquid crimen esset ab uno solo notum, nihilominus quantum ad forense iudicium spectat, diceretur omnino occultum, quia ad illam cognitionem, quæ requiritur ad sententiam ferendam, nihil profusus agit unus solus testis dictum, prout dicitur in cap. Veniens, & in cap. Licet, de testibus. De hoc occulto fit sermo in cap. Ut nostrum, ut ecclesiastica beneficia, &c. Aliud dicitur occultum, non quia sit omnino occultum, sed quia pene est occultum, propterea quod pauci sint testes qui illud probare possunt, & nondum est deductum ad iudicium. Et hoc distinguitur contra notorium, & aliando est idem quod manifestum, aut manifestabile. Nam manifestum (ut ait glossa in cap. Vestra, de cohabitatione Clericorum & mulierum) dicitur illud quod per aliquot paucos testes probari potest. Sed quando res non est per testes probata, verius (ut ego censet) dicitur manifestabile, quam manifestum. Postquam vero crimen est per testes probatum, tunc ego dicerem esse jam manifestum. Notorium crimen (ut dicit Gregorius nonus in cap. ult. de cohabitatione Clericorum & mulierum) est illud quod cognoscitur per sententiam iudicis definitivam, aut per confessionem in iudicio factam, aut per evidentiā rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Hæc quæ de crimine pene occulto diximus ex sententia Speculatoris in cap. de notoriis criminibus, §. 7. & Abbatis in cap. Ex literarum, de temporibus ordinationum, & cap. Vestra, de cohabitatione Clericorum & mulierum, dicta sunt. Hi enim simul cum glossa in illo cap. Vestra, ponunt medium inter notorium & occultum, & vocant illud manifestum, aut pene occultum. Nam occultum est quod probari non potest. Manifestum aut pene occultum quod probari potest per paucos testes, & nondum est deductum in iudicium. Notorium vero quod jam in iudicio declaratum est, aut per sententiam iudicis, aut per confessionem, & hoc vocant notorium juris: aut per rei evidentiā, quæ non possit aliqua tergiversatione celari, & hoc vocant notorium facti. Sed Lucius Papa hujus nominis tertius, in illo sæpe citato cap. Vestra, nullum inter illa duo ponit medium. Nam dividens crimen, solum dividit illud per notorium & occultum. Deinde, definiens crimen pene occultum, dicit esse illud quod ab Ecclesia toleratur. Quamvis igitur crimen aliquod possit per iudicem aut viginti testes probari, dummodo non sit per facti evidentiā, aut per ipsius rei iudicalem confessionem notum, semper juxta Lucii Papæ sententiam dicitur pene occultum, quousque per iudicem Ecclesiasticum sententiam sit damnatum. Nam hoc illic Papa dicit ab Ecclesia tolerari, quod per Ecclesiasticum iudicem non damnatur. Sed de hac diversa criminum appellatione ego contendere nolo, propterea quod parum referre mihi videtur, an hoc an illo nomine crimina censeri debeant: & semper mihi visum est inutile esse quæstionem, quæ non de re ipsa, sed de rei nomenclatura contendit. His omnibus prænotatis, ad quæstionem propositam per aliquot conclusiones respondeo.

Prima conclusio. Is qui commisit crimen aliquod ex se & ex natura sua occultum, ut est illud quod sola mente perpetratum est, nullam propter illud penam juris incurrit. Hæc conclusio forte videbitur alicui pendere ex illa multorum opinione, quæ ait, Ecclesiam non posse obliga-

re ad actus animæ interiores: de qua non inter omnes Theologos convenit, nec ego de illa in præsentiarum disputare volo. Quoniam talis disputatio nullo modo juvat ad probandum meam hanc primam conclusionem: propterea quod licet daremus gratias, Ecclesiam posse directam ad hoc intentione obligare ad actus animæ interiores, nihilominus tamen maneret firma nostra conclusio, quod propter crimen occultum, quod in sola mente latet, nullus incidit in penam à jure decretam. Nam etsi propter peccatum quod intra cordis latebras occultatur, peccator incidat in obligationem penæ æternæ, propter illud tamen nunquam incidit in obligationem penæ temporalis ab humano jure statuta. Quia penam æternam infligit Deus, qui est cordium scrutator, & cognoscit optime, talem peccatorem esse illa pena dignum. At pena temporalis à jure decreta non potest infligi nisi ab ipso jure, aut ab homine illius ministro. Homo autem non potest cognoscere crimen intra cordis recessus absconditum: ergo non potest propter illud penam infligere. Consequentia ista ex eo est nota, quod nullus iudex potest aliquem punire, nisi propter crimen quod fuerit sibi juris ordine notum. Injuncte enim ageret iudex qui alicui penam inferret, nesciens an ille sit tali pena dignus. Nec satis est ad penam infligendam, quod ipse solus iudex sciat, sed oportet, ut juris ordine sciat, hoc est, per testium relationem, & de re illa testimonium dicant: quia (ut in primo notabili dixi) non potest idem esse testis & iudex. Oportet igitur, ut non soli iudici sed multis aliis sit notum crimen quod est juris ordine puniendum. Forte hic aliquis respondebit, dicens hoc verum esse in pena à iudice infligenda, sed non in pena à jure infligenda, quia ad hanc non requiritur processus sicut ad illam. Sed hæc responsio non tollit, nec minuit nostri argumenti vim, quia etsi ad penam à jure infligendam non requiratur cause processus, requiritur tamen legislatoris auctoritas & potestas, quæ ad illa sola se extendit, quæ licet sint illi incognita, tamen ex illorum natura non obstant, quin possint ab illo cognosci. Et quia natura eorum quæ intra mentem nostram occultantur, obstant, ne possint ab homine cognosci, ideo illorum etiam natura obstant, ne humanæ substantiæ jurisdictioni & potestati: & inde necessario sequitur, ut non possint ab aliquo jure humano puniri. Et hanc sententiam confirmat id, quod licet Jurisconsultus Ulpianus in leg. Cogitationis, ff. de pœnis. Cogitationis penam nemo patitur.

Contra hanc conclusionem primam objici potest id, quod in Clementina 1. §. Verum, de hæreticis, dicitur, ubi sententia excommunicationis innodatur inquisitor hæreticorum, qui odio aut lucri spe aliquem innocentem puniverit, aut amore & favore hæreticum persequi omiserit. Ex qua definitione videtur colligi, penam esse infligendam à jure propter crimen in corde occultum, quia odium & spes lucri intra cordis areana continentur. Et glossa in illa Clementina ex sententia illius colligit, certum esse Ecclesiam posse ligare, & punire crimen omnino occultum quod in corde latet, & nunquam ad exteriorem actum processit. Hanc glossam laudat Abbas in cap. Si sacerdos, de officio iudicis ordinarii. Et hæc glossa consentit Adrianus in quodlibeto 8. art. 1. Mihi tamen multo magis placet aliorum multorum Theologorum opinio, quia communior, & magis rationi consona. Argumentum autem quod glossa & Adrianus ex littera illius Clementinae sumunt, parum agit contra nos. Quia Papa non ponit illuc sententiam suspensionis, aut excommunicationis propter solum odium, ac propter solum lucri spem, neque hoc fa-

ciere

ete posset, sed propter persecutionem aut afflictionem innocentis, ex odio aut spe lucri procedentem. Constat autem, quod licet odium & spes sint profusus occulta, persecutionem tamen & afflictionem innocentis ex odio aut spe lucri procedens, non est sic occulta, quin possit aperte ab hominibus videri. Et inde apertissime convincitur, Clementinam illam non imponere penam propter sola peccata occulta quæ in mente latent, qualia sunt odium & spes: sed propter actus exteriores qui ab hominibus videri possunt, quales sunt falsa criminis impositio, incarcerationio, tortura, & alia quævis similis vexatio. Nihil igitur Clementina illa obstat nostræ conclusioni, immo potius favor illi, quam non propter solos actus animæ interiores, sed propter exteriores qui illis junguntur, & ab illis oriuntur, suspensionis aut excommunicationis sententiam dedit. Faveo quidem, cogitationem & animum aliquando puniri, ut in lege. Si quis non dicam rapere, C. de Episcopis & Clericis, sed ibi non sola cogitatio aut nudus animus punitur: quia non punitur propterea solum quod mente concepit raptum virginis, sed quia illum perpetrare incepit, quamvis non consummavit. Et idem contingit in omnibus illis casibus, in quibus leges aut canones præcipiunt puniri affectum, quamvis non sequatur effectus, ut in cap. Pro humani, §. Sacri, de homicidio, lib. 6. & aliis similibus: quia illic non punitur solus affectus occidendi, sed mandatum homicidii, & receptatio, & occultatio, & defensio homicidæ, quæ omnia consistunt in opere exteriori, quod aperte ab omnibus videri potest. Et idem contingit in casu, l. Quisquis, C. ad legem Juliam majestatis, quia illic (ut eodem loco annotat Accursius) non sola cogitatio punitur, sed factum. Quod autem in cap. 1. de schismaticis dicitur, excommunicatum esse omnem illum qui præsumpserit contraire decreto illius capituli, non est intelligendum de illa præsumptione animi, quæ in corde latet, sed de illa quæ per aliquod opus exterius est demonstrata. Et eodem modo intelligendum est quod dicitur in cap. unico, de schismaticis, §. omnem, lib. 6. ubi Papa Bonifacius hujus nominis octavus excommunicat omnem, qui quosdam Petrum & Jacobum habuerit, & tenuerit per Cardinales: quia illud non est intelligendum de illa existimatione qua quis solo corde reputaret illos Cardinales, sed de illa existimatione quæ per aliqua signa exteriora demonstraretur, ut puta appellando illos Cardinales, aut talem honorem & reverentiam illis exhibendo, quales nisi Cardinales essent, illis non foret exhibenda. Nam si talis existimatio in solo corde mansisset, nec excommunicatione, nec alia quavis pena potuisset ab homine puniri. Nam (ut dicitur in cap. Cogitatio, de penitentia, dist. 1.) cogitatio non meretur penam, quando suis terminis contenta est, id est, quando cogitatio non se prodit exterius per aliquod opus. Quia si cogitatio procedit ad aliquod opus exterius, quod ostendat saltem criminis initium, puniatur ipsum opus, & non sola cogitatio. Et hanc sententiam aperte confirmat id quod Jurisconsultus ait in leg. Fugitivus, ff. de verborum significatione. Fugitivus est (inquit ille) non is qui solum fugiendi à domino consilium suscepit, licet id se facturum jactaverit, sed qui in ipso facto fugæ vitium mentis duxerit. Nam & furem, & adulterum, & aleatorem, quamquam alia significatione, ex animi propositione ejusque sola dicere quis possit, etiam eum qui nunquam alienam rem, invito domino, subtraxerit, qui nunquam alienam patremfamilias corruerit, si modo ejus mentis sit, ut occasione data id commissurus sit: tamen oporteret hæc eadem crimina, assumpto actu, intelligi: & ideo fugiti-

Tom. II.

vum quoque & errorem non secundum propositionem solum, sed cum aliquo facto intelligi constat. Hactenus Jurisconsultus. Ex cujus verbis constat, hominem quemque ex solo peccandi proposito peccatoris nomen suscipere, penam tamen legis non debere suscipere, nisi propositum opere compleverit. Quæ autem glossa in illa Clementina 1. de hæreticis, pro se citat, nihil probant intentionem, & fere illis omnibus respondimus. Et si quæ omisit, facile illis per ea quæ diximus, responderi potest. Nam illa omnia hoc solum probant, quod Ecclesia potest punire crimen occultum per accidens, ut est illud quod exterius commissum est, & caret testibus quibus possit probari. Nihil autem probant de crimine quod est ex natura sua occultum, prout est illud quod in solo corde perpetratum est. Et quia glossa & qui illam sequuti sunt, non adverterunt quantum sit inter illa duo occulta discrimen, ideo decepti sunt, putantes idem de uno ac de altero esse dicendum.

Secundo, contra eandem primam conclusionem argui potest per cap. Dolentes, de celebratione Missarum, ubi Concilium Lateranense sub Innocentio tercio celebratum, postquam dixerat multos esse Clericos non solum minores, sed etiam Prælatos, qui nec Missas audiant, nec Divinum Officium dicunt, aut si dicunt, id tamen negligenter & indevotè faciunt, tandem hæc quæ sequuntur, ait: Hæc igitur & similia sub pena suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devotè. Hæc Concilium Lateranense. Ex cujus verbis videtur colligi, penam suspensionis esse positam illi qui sine diligentia & sine devotione Officium Divinum dixerit. Et inde ulterius sequi videtur, ut propter crimen in solo corde latens sit pena juris statuta. Quia sicut devotio est in corde, ita oportet, ut illius privatio sit in solo corde: quia privatio & habitus sunt circa idem subjectum. Pro solutione hujus argumenti non est opus differere de intelligentia illius capituli Dolentes, an per illud inducatur obligatio peccati mortalis ad habendum devotionem, quæ Divinum Officium Deo persolvitur. Nam sive obliget ad devotionem illam sub pena peccati mortalis, sive non, parum referat ad argumenti vires augendas aut minuendas. Quoniam etsi nulla sit obligatio peccati mortalis ad devotè dicendum Officium Divinum, nihilominus manere posset illa obligatio ad penam illic expressam, quæ si imperfecta est propter defectum devotionis, inde argumentum sumet vires, ut probare videatur, aliquam penam esse à jure impositam propter peccatum in solo corde perpetratum. Omnia ergo illa disputatione, dupliciter ad argumentum ad respondeo: & primo nego penam suspensionis illic statui contra illos qui sine devotione Officium Divinum persolverint, sed solum contra illos Clericos qui raro Missam audiunt, & rarissime dicunt, & quando choro interfuerint, fabulis & aliis colloquutionibus laicorum intendunt, noctes illicitis fabulationibus expendunt, ut postea vix illis tempus relinquatur ad inatutinum officium dicendum. Nam postquam in principio illius capituli dixerat, hæc omnia à multis Clericis fieri, tandem hæc omnia sub pena suspensionis prohibet. Post illam prohibitionem præcipit, ut Divinum Officium nocturnum pariter ac diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devotè: sed tunc nullam adjecit penam contra hujus præcepti transgressores. Juxta hunc modum interpretatur illud caput Adrianus in quodlibeto 8. art. 1. ubi reprehendit quorundam Jurisperitorum opinionem per Abbatem in eodem capite citatam, quæ

Rrrr

di-

ut possit de una in alteram speciem transferre. Et inde sequitur, ut sicut ignorantia illa non valet opus malum ex ipsa factum de una in alteram peccati speciem transferre, ita etiam non valeat liberare illud a poena juris, quae est propter tale peccatum statuta. Si Petrus contendens cum Joanne, quem ex ignorantia crassa ignorat Sacerdotem, occideret illum, sicut peccaret peccato homicidii, ita etiam peccato sacrilegii, & per consequens esset excommunicatus. Non autem imputaretur illi sacrilegium, & per consequens non esset excommunicatus, si illa ignorantia non fuisset crassa aut supina, sed invincibilis, vel (ut Jurisperiti loquuntur) probabilis, ut patet in cap. Si vero, 2. de sententia excommunicationis.

Hic tamen admonere doctorem, ut advertat id quod dicimus dantem operam rei illicitae, non excusari a peccato, quod fit ex ignorantia crassa, nec a poena illi ex jure debita, debere intelligi de sola malitia objecti circa quod versatur, aut de aliis, quae illi per se & immediate junguntur, aut ex illis necessario sequuntur. De aliis autem, quae per accidens oriuntur, a re illa mala circa quam versatur, excusabitur ignorans, quamvis det operam rei illicitae, & ignorantia illius sit crassa & supina. Quia illa quae per accidens eveniunt ex opere aliquo, & tamquam effectus remoti proveniunt ab illo, non imputantur illi sive ad bonitatem, sive ad malitiam. Hoc prudenter quidem & egregie annotavit Petrus de Palude in 4. sententiarum, distinctione 30. quaestione 1. art. 3. Ex qua sententia ille colligit, virum qui fecit uxorem esse menstruatam, nescit tamen an ex tali coitu soleat generari monstrum, non peccare, praesertim mortaliter. Quia (ut ait) quod praeter spem alicui accidit, etiam si ille det operam rei illicitae, non imputatur illi ad culpam, nec ad poenam, quae oritur ex peccato, quamvis aliquando possit imputari ad poenam irregularitatis, quae non propter peccatum, sed propter actum aut defectum infligitur. Et glossa in capitulo ultimo de homicidio voluntario vel casuali, dicit casus fortuitos, qui praevideri non possunt, non esse imputandos: quia illos nullum hominum consilium praevidere potest. Et certe nisi ita dicendum esset, oporteret fateri, artificem qui ex ferro & calybe furto sublatis confeceret enssem, esse homicidam & irregularem, si ille qui enssem ab eo emit, postea illo ense alicquem occidisset, quia licet cum enssem vendidit, ignoraret homicidium futurum, tamen dabat operam rei illicitae, cum illum ex materia furtive suscepta confecerit. Hoc tamen nullus fateatur, quia ille enssem conficiens & vendens, nullam dedit homicidio propinquam causam, sed valde remotam: cui imputari non debet neque ad culpam neque ad poenam, id quod remote & per accidens ab illa procedit. Eadem ratione credo non esse irregularem Sacerdotem, qui pollutus per adulterium uxorem alicujus, quamvis ob hanc causam maritus illius illum occidat. Quia Sacerdos ille per adulterium suum non intendebat mortem mulieris illius, nec homicidium illud sequitur per se & necessario ex adulterio, sed solum occasione: & ideo Sacerdos ille non est dicendus esse vera causa illius homicidii, cum non sit cooperatus ad illud, nec de illo praecipuum aut consilium dederit, nec illi quovis modo favorem praestiterit. Et inde consequens est, ut quamvis rei illicitae operam dederit, non sit illi imputandum homicidium, quod ipso ignorante contigit, quia hoc non per se & necessario, sed per accidens oritur ab adulterio. Nam poterat ignorari a marito, & quamvis maritus sciret, non est necessarium maritum adeo ob illud irasci, ut uxorem occideret, cum multi ubique sint, qui uxores suas vivere sinant, quamvis opti-

me sciant illas esse adulteras. **A** Ecce jam manifestam differentiam inter ignorantiam invincibilem & vincibilem: & rursus persistendo in ignorantia vincibili & crassa inter illum qui dat operam rei licitae, & qui illicitae. Quae omnia, licet propter nimiam eorum difficultatem, ut clarius ab omnibus intelligi potuissent, valde diffuse & prolixè tractaverim, tamen ut facilius possint memorie commendari, ea iterum (sub brevi compendio per propositiones quatuor) repetere statui. Nulla ignorantia sive juris sive facti excusat a poena juris, quae non propter peccatum, sed propter actum aut defectum est a jure statuta. Ignorantia crassa illius qui dat operam rei illicitae, non excusat illum a peccato, nec a poena, quae propter illud peccatum est a jure decreta. Ignorantia crassa illius qui dat operam rei licitae, licet non omnino excuset a peccato opus ex tali ignorantia factum, sic tamen dimittit malitiam illius, quod non permittit illud in propria specie peccati in qua fuisset, si ex industria fieret, sed transfert illud in aliam mitiorem speciem peccati, hoc est, in ipsum peccatum ignorantiae, a qua processit. Et sicut excusat a propria specie peccati, ita excusat a poena, quae est propter peccatum a jure statuta. Ignorantia invincibilis semper excusat a culpa, & ideo semper excusat a poena, quae propter peccatum a jure imponitur, sive ignorans det operam rei licitae, sive illicitae, & ideo ebrius si per ebrietatem occidat alicquem, excusatur (ut dixi) ab irregularitate. Quia licet dabat operam rei illicitae, quum occidit, **C** habebat tantam homicidii ignorantiam eo tempore invincibilem.

Ex hac ultima propositione multa possunt inferri corollaria, e quibus aliqua pauca proferam, ut melius ea quae generaliter diximus, per particularia exempla intelligantur. Primo quidem sequitur, quod si aliquis uxori minime alligatus, cognovisset aliquam consanguineam aut affinem suam, ignorans invincibiliter illam esse affinem suam aut consanguineam, prout contigit Judae coenitum cum Thamar, (Gene. 38.) quamvis peccasset peccato fornicationis, quia cognovisset illam quam sciebat non esse suam, non tamen peccasset peccato incestus, quia invincibiliter ignorabat esse suam consanguineam. Et inde ulterius sequitur, ut si ille vellet matrimonium contrahere, posset sine ulla dispensatione id licite facere, quamvis incestuoso sit a jure inflicta poena, ut matrimonium non contrahat, in cap. De incestis: & in cap. Nec eam 35. q. 2. & 3. Posset etiam ab uxore debitum licite petere, si matrimonio alligatus, aliquam cognovisset, quam invincibiliter ignoraret esse suae uxoris consanguineam, quod tamen illi non liceret, si sciret illam esse sibi affinem, prout dicitur in capitulo, Transmissa, de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae. Quia sicut in utroque istorum casuum excusatur ille ab incestu propter invincibilem consanguinitatis aut affinitatis ignorantiam, ita etiam ex consequenti excusatur a poena, quae propter incestum est a jure statuta.

Secundo, ex eadem propositione infero, illum qui ex odio & rancore percussit Clericum, quem invincibiliter ignorabat esse Clericum, non esse excommunicatum, quamvis esset excommunicatus, si sciret illum esse Clericum, ut dicitur in cap. Si quis suadente, 17. quaest. 4. Quia licet non excusetur a peccato percussio, excusatur tamen a peccato sacrilegii propter invincibilem Clericatus ignorantiam, prout definitum est in cap. Si vero, 1. 2. de sententia excommunicationis. Et eodem modo excusaretur ab illa excommunicatione, quamvis non ab irregularitate, si illum per ralem ignorantiam occidisset. Quia per tale

igno-

ignorantiam non minus excusaretur a sacrilegio, si occideret, quam si percuteret. Ab irregularitate autem non excusaretur, quia ad illam non requiritur sacrilegium, sed satis est homicidium quod ille vere perfecit, cum sciverit esse hominem quem interfecit. Sed si illum occidit, putans ex ignorantia invincibili illum non esse hominem, tunc sicut excusatur a peccato per invincibilem ignorantiam, ita etiam excusatur ab irregularitate per eandem ignorantiam. Et hoc annotavit Petrus de Palude in 4. sentent. distinct. 35. quaest. 1. art. 4. ubi ponit generalem regulam haec dicentem. Justa ignorantia in irregularitate homicidii semper excusat, non autem in bigamia. Et ratio est, quia irregularitas in bigamia non infligitur propter peccatum, sed (ut superius dixi) propter defectum sacramentalis significationis. Irregularitas autem homicidii licet in persona publica infligatur sine peccato, in persona tamen privata semper est cum peccato, & illic omnis ignorantia quae excusat a peccato, excusat etiam ab irregularitate, prout constat ex toto titulo, de homicidio voluntario vel casuali, in Decretalibus, & in Sexto, & in Clementinis.

Tertio, ex eadem propositione infero, illum qui se esse excommunicatum, aut suspensum, aut interdictum invincibiliter ignorat, non efficit irregularem, quamvis celebret divina. Quia talis ignorantia (ut ex dictis constat) excusabit illum a peccato, & per consequens ab illa irregularitate, cum talis irregularitas non nisi pro peccato praeterito infligatur. Hoc expresse definitum est in cap. Apostolica, de clerico excommunicato ministrante. Quam definitionem glossa in eodem loco interpretatur, & bene esse intelligendam de illo solo qui habet ignorantiam probabilem, quam Theologi appellant invincibilem. Multa alia similia possem inferre corollaria, sed ne prolixior faciam dissertationem, ea prudenter lectori relinquo, quoniam haec mihi satis esse videntur, ut quique ad illorum exemplum de multis aliis similibus ferre possit iudicium.

C A P U T XV.

An is qui crimen aliquod commisit, liberetur ab omni poena a jure statuta, si crimen illius sit occultum.

UT promissioni meae, qua de potestate legis poenalis in hoc opere differere statui, plene satisfaciam, hoc solum mihi superesse video, ut de illo qui crimen aliquod occultum commisit, inquiram, an sit liber ab omni poena quam lex contra tale crimen decernit. Quae res, postquam diligenter illam sum perferutatus, visa est mihi multo difficilius, quam a principio putaveram, quum illam ex facie tantum aspexeram. Est enim res haec, propter multiplicem illius varietatem, tam perplexa, ut nihil certum possit universali definitione, quae omnia crimina & omnes poenas complectatur, de illa pronuntiari. Nam in re haec magis quam in aliqua alia experior verum esse id quod lib. 1. cap. 7. me dixisse memini, poenam non esse dilatandam ultra casum in lege expressum, nec valere argumentum a similitudine rationis in lege poenali, praesertim in illa quae sententiam latam continet. Sunt enim alique poenae, a quibus reus numquam liberatur, quamvis crimen illius sit occultum. Sunt rursus aliae, a quibus reus est omnino liber, si crimen illius non possit probari. Quae diversitas non ex natura ipsarum poenarum, sed ex sola legislatoris voluntate pendere videtur. Oportebit igitur hujus perplexae quaestiones definitionem per multas & varias conclusiones pariri, ut certam illam reddere valeamus. Sed ante

omnia proclariori hujus rei intelligentia oportet aliqua annotare, sine quibus non poterit hujus quaestiones definitio plene intelligi.

Primo quidem admonere me in quaestione ista non inquirere de poena illa, quae est per Judicem inferenda, etiam si sit per legem statuta: quoniam de poena illa non est cur aliquis merito dubitare possit. Nam cum illius poenae infliccio pendeat a Judicis voluntate, constat reum tandiu fore liberum a tali poena, quandiu crimen illius fuerit occultum Judici, quatenus Judex est. Si crimen Judici fuerit revelatum, non quatenus est Judex, sed quatenus privata est persona, non poterit illum punire: quia non potest simul esse testis & Judex. Oportet enim, ut qui Judicis officio fungitur, tamquam Judex, hoc est, per aliorum testimonium noscat crimen, quod in publico iudicio punire debet. De hac sola cognitione, quam per testimonium relationem habet Judex, intelligitur id quod Salomon ait (Prov. 12.) Qui quod novit loquitur, Judex justitiae est. Postquam crimen fuerit Judici juxta juris ordinem revelatum, & plene ab illo cognitum, tunc poenae infliccio adhuc ex sola Judicis voluntate pender, quoniam si ille remisse & negligenter agere velit, poterit, quamvis injuste, juxta ea quae cap. 12. hujus secundi libri diximus, poenam reo dimittere. Non est igitur hujus nostrae quaestiones sensus de poena per Judicem inferenda, sed de poena a jure ipso inflicta, an reus ab illa liberetur quando crimen illius est occultum. Et de hac est difficultas, quia lex ad poenae infliccionem non requirit testimonium probationem aut alium juris processum sicut Judex, sed sine ullo teste, & sine ullo juris processu poenam infligit.

Secundo annotare oportet crimen occultum, ea ratione qua occultum est, multiplex esse & varium. Nam est aliud quod ex se & ex sua natura occultum, est aliud per accidens & contingenter occultum. Et hoc iterum variat per majorem aut minorem illius occultationem, quoniam aliud quod est omnino occultum, aliud est non omnino occultum, sed fere occultum. Haec distinctio inter occultum naturae, & occultum per accidens est valde notanda, quia ex ignorantia aut inadvertentia illius multi viri docti Jurisperiti erraverunt unum cum altero confundentes, & ideo putantes eandem esse de utroque rationem habendam. Sed credo quod longe aliter sensissent diversam de illis ferentes sententiam, si bene advertissent, latissimum esse inter haec duo discrimen. Crimen ex se & ex natura sua occultum est illud, quod ex se & ex natura sua nihil habet, unde possit naturaliter ab aliquo homine cognosci. Talia sunt illa crimina quae in corde solo committuntur, & ad nullum opus exterius dicto aut facto perveniunt. Haec enim ex se & ex sua natura sunt adeo occulta, ut a nullo homine possint via naturali cognosci. Quis enim hominum, ait Paulus (1. Cor. 2.) scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Et merito hoc ait Paulus, quia homines (ut dicitur in primo Regum cap. 16.) videntur ea quae foris patent, Deus autem intuetur cor. Si quis forte unquam cogitationes hominum novit, prout Sanctis aliquibus contigit esse manifestum, id non propria virtute, sed Dei revelatione aut speciali Dei auxilio factum est. Crimen occultum per accidens est illud, quod non a solo corde committitur, sed voce aut opere per aliquod corporis membrum exercitur exterius. Nam hoc postquam ex latebris cordis prodit exterius, ex natura sua hoc habet ut possit videri, aut audiri ab eo qui esset propinquus operanti. Si a nemine videtur, aut auditur, hoc per accidens illi contingit, quia nullus erat praesens, qui illud posset videre aut audire. Hoc

au-

dicat penam illam suspensionis esse referendam, non solum ad prohibitionem praeeriorum, sed etiam ad observantiam praecepti subsequenter. Secundo respondeo, quod licet gratis dare vellem, penam illam suspensionis statutam esse contra illos qui indevote Divinum Officium Deo persolvunt, nihil tamen ageret illud caput contra meam primam conclusionem. Quia poena illic decreta non est ipso jure inflicta, sed est per Judicem inferenda. Nam illa verba, sub poena suspensionis, quae in illo capite collocantur (ut cap. 1. hujus secundi libri diximus) non sententiam à jure latam, sed solum à Judice ferendam declarant. Si poena illa est à Judice insignenda, necessarium est, ut antequam Judex reum ad illam damnet, plenam per sufficientes testes habeat notitiam de indevotione & negligentia, quam reus habuit, quum Divinum persolveret officium. Et inde convincitur, ut indevotio quae in capite illo punire praecipitur, non sic illa quae intra cordis secreta occultatur, sed illa quae per confabulationes, aut alia signa exteriora manifestatur. Quia illa quae in mente latet, non potest per testimonium relationem esse Judici nota; & inde consequens est, ut non possit ab eodem Judice ad poenam damnari. Quomodo poterit Judex damnare ad poenam, quod non cognoscit esse poena dignum.

Ex ista prima principali conclusione sic declarata, aperte colligitur haereticum mentalem, hoc est, qui haesim suam sola mente concepit, nullatenus illam signo aliquo foris manifestando, non esse à jure excommunicatum, nec dominio bonorum suorum privatum, nec alicui alteri poenae à jure contra haereticos statuta subiectum. Quia Ecclesia non potest punire crimen, quod ipsa nullo modo potest agnoscere. At haesim mentalem, quae in corde hominis latet, Ecclesia non potest cognoscere: ergo illam Ecclesia punire non potest. De talibus enim quae intra cordis secretum latent, & à solo Deo cognoscuntur, prohibet Paulus iudicium ab hominibus dari; propterea quod illa à solo Deo iudicanda sunt, & illi soli servantur. *Nolite, inquit Paulus (1. Cor. 4.) ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum.* Si quis autem hujusmodi occultis iudicare contenderit, illum tamquam propriae divinae iustificationis usurpatorem, Deo injuriam facere testatur Ambrosius, qui praedicta Pauli verba interpretans, ait: Monet illos ne iudicent, cum iudicandi sint, & habeant duplex peccatum, sicut ait Dominus: (*Matth. 7.*) *Nolite iudicare, & non iudicabimini, sed expectate diem iudicii, ac si fideles & boni sint.* Injuria enim Judicis est, si ante cognitionem ejus, à servo procedat iudicium aut sententia. Haec Ambrosius. Huic sententiae maxime favet illa Christi Salvatoris nostri parabola (*Matth. 13.*) de malo semine, quod inimicus homo super bonum semen seminavit, quod dum ministri colligere vellent, & ad hoc faciendam licentiam à patrefamilias peterent, idem patrefamilias respondit illis, sic dicens: *Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum; sinite utraque crescere usque ad messem.* Sed quare ille patrefamilias prohibuit ne eradicarent zizania? Quia illi non poterant ante messem distinguere inter triticum & zizania, & metuit ne per ignorantiam triticum pro zizania eradicarent. Et idem prorsus faciendum est in punitione peccatorum occultorum, quae usque ad diem iudicii differenda sunt, & Deo relinquenda ab illo punienda, ne dum homines illa punire volunt, bonum pro malo puniant. Et hoc ipsam aperte docet Hieronymus, qui in Commentariis super Matthaeum praedictam Christi parabolam interpretans, ait: „ Inter triti-

„ cum & zizania, quod nos appellamus loliam, quandiam herba est, & non: dum culmus venit ad spicam, gratias similitudo est: & in discernendo, aut nulla, aut perdifficilis est distantia. Praemonet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, ut cum dies iudicii venerit, ille non suspensionem criminis, sed manifestum reatum de Sanctorum caetu ejiciat.“ Haec Hieronymus. Si ille, de quo sola habetur suspicio (ut Hieronymus ait) non est ab Ecclesia puniendus, multo minus puniri debet ille, cujus peccatum est tam occultum, ut nulla merito possit pro illo haberi suspicio, qualis est haereticus in corde latens, quae nullatenus se aliquo exteriori signo foris manifestavit. Si autem illa aliquo modo foris prodit, ut puta si haereticus secum tacite sine ullo teste illam loquatur, aut scribat, tunc propter illam erit eo ipso sine dubio excommunicatus. Quia licet talis haereticus sit occultus, non tamen esse se & ex natura sua est occultus, sed solum per accidens propter defectum testimonii: quia si testes adessent, optime illam videre potuissent. Et licet hoc non sit factum, ut quis possit à Judice damnari, est tamen satis, ut possit damnari à jure, quia jus non requirit processum, & testimonium relationem, quemadmodum Judex, ut poenam infligere possit. Sed opus est, ut respondeamus glossae in Clementina 1. §. Verum, de haereticis, quae asserens haereticum mentalem esse ipso jure excommunicatum, profert ad hujus sententiae probationem cap. Excommunicamus, §. Credentes, de haereticis, quo loco credentes haereticorum decernuntur excommunicationi subiacere. Ex quo videtur colligi, poenam esse à jure inflictam propter peccatum in mente occultum, quia talis credulitas quae illi haereticis credunt, intra cordis secreta occultatur. Sed glossa ex textu illius capituli arguens, maxime fallitur, quia credentes qui in illo capitulo excommunicatione ligantur, non sunt illi qui in corde suo occultant fidem quam haereticis praebent, sed illi qui verbo, aut scripo, aut alio quovis exteriori signo ostendunt se haereticis fidem praebere, & bonam de illis habere existimationem. Nam (ut lib. 1. de Justa haereticorum punitione, cap. 17. me dixisse memini) necessarium est, credulitatem suam aliquo exteriori signo declarare, ut aliqui dicantur credentes haereticorum. Quod de haeretico mentali diximus, idem & sub eadem ratione de simoniaci mentali dicere oportet, ita ut ille non sit alicui poenae ecclesiasticae subiectus, sicut nec haereticus. Hactenus de crimine ex se & ex sua natura occulto, quale est illud quod intra cordis secretum retinetur, dixisse sufficiat: nunc opus est, ut de alio per accidens occulto, quale est illud quod ex cordis latebris foras prodit, sed non habet testes quibus probari possit, dicere incipiamus. De hoc tamen non possumus certam aliquam & universalem proferre sententiam, prout de alio occulto in praecedenti conclusione fecimus, sed oportebit juxta varietatem poenarum varias de illo dicere sententias, quae per singulas conclusiones suo ordine sigillatim declarabuntur.

Secunda conclusio principalis. Quicumque commiserit crimen aliquod, propter quod est ipso jure imposita excommunicatio, incidit in excommunicationem illam, etiam si crimen sit omnino occultum per accidens, hoc est, carens testibus quibus possit probari. Haec conclusio probatur per cap. Porro, de sententia excommunicationis, & per cap. Clericis, de immunitate Ecclesiarum, lib. 6. & in Extravagananti, Cum detestabile, de simonia. Forte aliquis dicat, in nullo istorum capitulorum quae nunc proxime citavimus, regulam generalem dari, quae dicat, eum qui crimen

occultum commisit, incurrere sententiam excommunicationis à jure latam, perinde ac si illud idem publice commisisset: sed solum casus aliquos particulares illic exprimi, in quibus excommunicatio contra crimina occulta inferitur à jure. At ex particularibus illis sententiis (ut ego saepe alias dixi) colligere sententiam generalem, pessima est consequentia. Fateor quidem, ut obijciatur, malum esse consequentiam, quae ex particulari inferit universale; sed ego in praesentiarum non sic argumentor, nec ad hunc finem illa capitula citavi, ut ex illorum testimonio regulam generalem colligerem: sed protuli illa in exemplum, ut illorum testimonio probarem, ita in particularibus illis exemplis contingere quod conclusio mea universaliter asseruit. Sed dices: Quomodo igitur probabis tuam illam universalem conclusionem, cum nullus sit textus in jure canonico expressus, qui ita universaliter definit? Respondeo, quod licet textus expressus desit, non tamen desit ratio aperta & manifesta, quae ita dicere cogat. Ratio autem ista pendet ex conditione & qualitate sententiae à jure latae, quae longe alia est à conditione sententiae ferendae à Jurece. Sententia à jure in genere lata nunquam est super peccato praeterito & jam commisso, sed super peccato futuro quod committendum fore timetur, & timore poenae caveri operatur. Sententia vero ab homine lata contrariam habet conditionem, quia nunquam est de peccato futuro, sed semper de peccato praeterito & vere commisso. Et hinc evenit alia inter haec duo diversitas: quia sententia à jure lata non requirit processum, nec ullam causae cognitionem, ut sententia ipsa suum sequatur effectum, sed solum requirit crimen esse perpetratum: & eo ipso sine ulteriori cognitione est sententia super illud à jure lata. Sententia hominis ut justa sit, requirit processum & causae cognitionem, quia debet iudicare secundum allegata & probata. Si sententia à jure lata non requirit processum, nec causae cognitionem, sed solum delicti perpetrationem consummatam: ergo quotiescumque fuerit perpetratum crimen, propter quod est excommunicatio à jure lata, toties illius criminis perpetrator erit eo ipso excommunicatus, quamvis illius crimen sit occultum. Consequentia ita est manifesta, quia per hoc quod crimen est occultum, non tollitur quod vere sit crimen, aut quod vere sit perpetratum: & inde necessario sequitur, ut nihil illius perpetratori desit ad sententiam excommunicationis sustinendam. Contra hanc rationem argui potest, quod si illa esset efficax, sequeretur inde nunquam sententiam excommunicationis posse ab homine dari contra peccatorem occultum: quia cum ille sit occultus, non poterit Judex contra illum via juris procedere, nec crimen illius poterit per testes probari. Falsitas autem hujus consequentiae probatur per cap. Quidam maligni spiritus, §. q. 1. ubi beatus Gregorius privat communicatione corporis & sanguinis quemdam, qui libellum famosum contra Cassiorum ejus notarium nocturno silentio in publico civitatis loco posuit, & si illud percipere attentasset, anathematis ultione percussit. Antequam ad hoc argumentum respondeam, praenotare oportet dupliciter contingere posse peccatorem aliquem esse occultum. Potest quidem esse, ut peccator sit occultus simul & crimen ejus: ita ut non solum ignoretur peccator criminis, sed crimen ipsum. Alio modo potest peccator esse occultus, ita ut crimen sit manifestum, sed ignoretur quis sit illius auctor. Si primo modo peccator sit occultus, ut non solum sit occultum illum fuisse criminis auctorem, sed etiam crimen esse perpetratum; tunc non poterit Judex sententiam excommunicationis contra illum ullo modo dare. Ratio

enim naturalis cogit, ut Judex non possit excommunicare illum, quem penitus ignorat crimen aliquod commisisse. Nam (ut constat ex illo ordine quem ad excommunicationem ferendam servandam esse Salvator noster statuit) non potest Judex aliquem excommunicare nisi pro peccato mortali, & trina monitione praemissa. At is qui sic omnino occultus est, non potest ab homine de peccato suo moneri: ergo nec propter illud ab homine excommunicari. De hujusmodi enim solis oculis intelligendum est cap. Erubescant 32. dist. & cap. Consultuisti. 2. quaest. 5. & cap. Si omnia, 6. quaest. 1. & cap. Christiana, 32. quaest. 5. & cap. Sicut tuis, & cap. Tua nos, de simonia, & reliqui omnes textus, qui dicunt occulta soli Deo servari ab illo iudicanda. Si vero sermo nunc fiat de peccatore secundo modo occulto, cujus crimen est manifestum, sed incognitum quis sit peccator illius, dico illum bene posse ab homine excommunicari. Et hoc bene probatur per illud supra citatum cap. Quidam maligni spiritus. Quia ille de quo in illo capitulo fit sermo, erat hoc secundo modo occultus, & non primo modo. Nam crimen ab illo perpetratum erat manifestum, quamvis ignorabatur quis esset illius criminis auctor. Et expressius probatur per cap. Si Sacerdos, de officio Judicis ordinarii. Et hinc (ut Abbas in hoc capitulo ait) oriuntur excommunicationes illae, quas quotidie à Judicibus inferri videmus propter furta, quorum ignorantur auctores. Quia in talibus etsi criminum auctores sint in se occulti, sunt tamen aliquo modo manifesti in operibus suis, propterea quod effectus aliquatenus manifestat suam causam, & propter hanc manifestationem potest Judex procedere contra reum, ut illum puniat. Sed cum Judex hoc facere tentat, duo sunt illi maxime necessaria, quorum alterum ipsam excommunicationem praecedere, alterum illam comitari debet. Antequam sententiam excommunicationis Judex contra reum occultum ferat, opus est, ut prius illum in genere moneat, sic dicendo: Quicumque hoc aut illud crimen commisit, abstineat: & si damnum intulit, satisfaciat, alioquin excommunicabitur. Et hoc annotavit glossa in illo cap. Quidam maligni spiritus, sic dicens: Nonne debuit admonitio praecedere excommunicationem, ut 12. quaest. 2. indigne? Sed forte hic praecedat: & quia illud tempus hic non adijcitur, usque ad quod tempus teneatur exire, statim tenetur exire: quod si non fecerit, ex quo est in mora, statim incidit in excommunicationem. Haec in glossa. Sed si bene littera illius cap. inspicatur, facile esse illa constare poterit, quod licet nulla praecesserit monitio, antequam Papa illum privaret communicatione corporis & sanguinis Domini; tamen praecessit monitio antequam illum anathematis ultione percuteret. Alterum quod requiritur in ipsa excommunicatione est, ut illum in genere & non nominatim excommunicet. Quia si ipse Judex solus sciret Petrum aliis occultum esse furri manifesti auctorem, & dominum rei peteret à Judice, ut excommunicationis sententiam contra furem daret, poierit illum in genere & suppresso nomine furis pronuntiare, sed non nominatim illum publicando. Et hoc expresse definitur in illo cap. Si Sacerdos, de officio Judicis ordinarii, ubi Papa ad hujus sententiae confirmationem adducit exemplum de Juda, quem Christus à communione nominatim repellere voluit, quamvis sciebat illum esse proditorum: sed illum in genere suppresso nomine admonuit, dicens: *Unus vestrum me tradidit usque ad mortem.* Circa istos sic occulte excommunicatos five sint à jure, five ab homine excommunicati, duo per occasionem annotare decrevi. Primum est, quod ille qui sic est occulte

excommunicatus, tenetur vitare alios, quamvis alii non teneantur vitare illum. Alii quidem non tenentur vitare excommunicatum à jure, vel ab homine, antequam nominatim per sententiam contra illum datam sit excommunicatus, nisi illum tantum, qui pro sacrilega manu injectione in Clericum in sententiam à canone latam adeo notorie incidit, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam Martinus quintus in Extravaganti ad evitanda scandala, quam Constantia edidit, hac benignitate usus est, ut circa culpam aliquam liceret omnibus & ubicumque locorum cum excommunicatis à jure, vel ab homine in omnibus & per omnia communicare, donec esset per publicam sententiam nominatim declaratus, & nullum casum excepit præter illum de injectione manu violenta in Clericum. Sed hinc non licet inferre, ut ipse excommunicatus, quamvis occultus sit, non teneatur vitare alios: quia magis (ut dicitur in cap. Illud. de Cleric. excommun. minit.) obligatur excommunicatus ad vitandum alios, quam alii ad vitandum illum; nam ipse excommunicatus propter proprium delictum, & in poenam illius obligatur ad vitandum alios. Alii vero non in poenam sui delicti, sed in poenam ipsius excommunicati tenentur vitare illum. Et inde sequitur, ut magis peccet ipse excommunicatus communicando aliis, quam alii communicando illi. Hanc tamen sententiam de obligatione occultis excommunicatis ad se subtrahendum à communione aliorum, hac conditione intelligendum esse volo, si illic sine scandalo & sine sui prodicione se ab aliorum communicatione subtrahere possit. Quoniam si absque peccati sui, aut suæ excommunicationis manifestatione id facere non possit, credo quod non obligatur ad tali communicatione abstinere, quia sic abstinendo se ipsum proderet, quod nemo facere tenetur, nisi quando talis sui peccati revelatio esset necessaria ad faciendam restitutionem famæ, quam aliquis injuste alteri abstulit, prout contingit in casu illius cap. Quidam maligni spiritus. 5. quæst. 1. Nam in casu illo, quia fama, quæ per libellum famosum ablata fuerat, non poterat plene restitui, nisi is qui libellum jactaverat, se ipsum publicasset, & de mendacio contra alium jactato publice accusasset, ideo Papa Gregorius, cujus est textus ille, præcipit illi qui libellum famosum jactavit, ut publice peccatum suum confiteretur, quod si non fecisset, eo ipso esset privatus communione corporis & sanguinis Domini. Si enim talis revelatio propriæ personæ non esset necessaria ad alienæ famæ injuste ablatæ restitutionem faciendam, numquam etiam Papa præcipiente se prodere deberet, quamvis (ut glossa male textum illum intelligens ait) crimen esset manifestum. Nam glossa illic dicit, hoc esse speciale in illius criminis detestationem, aut ideo sic præceptum esse, ut se publicaret, quia crimen erat manifestum, quamvis auctor illius esset occultus. Sed neque fuit speciale ob solam criminis detestationem, neque ideo præceptum fuit, quia crimen erat manifestum: sed juste & necessario sic præceptum est, immo quamvis illi non præciperetur, ipse erat obligatus ad se publicandum: quia non poterat famam, quam injuste abstulit, restituere, nisi se publicando. Nam si id per scripturam suo nomine sine testibus subscriptam facere vellet, scribens in ea se esse illius libelli auctorem, & mentitum esse in illo, non plene satisfaceret famæ quam injuste abstulit. Quia merito quisque suspicari posset, illam scripturam esse ab infamato, aut ab amicis illius confictam, ut vel sic famæ suæ consulere. Oportebat igitur se prodere, ut famæ quam abstulit, plene satisfacere

posset: & ideo Papa illud præcepit, quia aliter ille satisfacere non poterat. Alterum, quod circa occulte excommunicatis mihi videtur annotatio dignum, est, quod licet excommunicatus sit eo ipso ab omni exercitio actu legitimum suspensus, quales sunt, judicare, testificari, accusare, eligere, electum esse, & recipi alii similes; tamen si est occulte excommunicatus, ita ut publice ab omnibus reputetur pro non excommunicato, quidquid in exercitio talium actuum legitimum fecerit, valet, etiam si postea manifestetur illum fuisse excommunicatum, quando illud fecit. Hanc sententiam docet Richardus in 4. sentent. dist. 18. art. 7. quæst. 1. in responsione ad secundum principale argumentum. Et probat hanc suam sententiam, primo auctoritate cap. Exceptionibus, de exceptionibus, & cap. Consultationibus, de jure patronatus. Deinde addit rationem, dicens: Nisi sic fieri oporteret, multa orientur quotidie animarum pericula, quibus nullus mederi posset. Nam sæpe contingit, ut quis recipiat beneficium ab occulte excommunicato, & si talis collatio beneficii non esset valida, nec ille audire posset confessiones subditorum, quia non essent illi subditi, nec posset fructus beneficii percipere. Et in multis aliis casibus multa alia similia, aut majora provenirent animarum pericula. Glossa in cap. Ad probandum, de sententia & re judicata, huic etiam favet sententia, dicens quod quia communi opinione liber & absolutus habetur, & creditur, quidquid interim facit, valet. Et pro hac sententia citat l. Barbarius, ff. de officio præsidis, & l. primam, C. de testamentis. Addit insuper unum in speciali Richardus, dicens, quod si latenter excommunicatus alicui electioni interesset, & postea ante electi confirmationem detegeretur ejus excommunicatio, quamvis propter hoc non irritaretur electio, si electus illo secluso habebat sufficientem suffragiorum aut votorum numerum, tamen suffragium illius reputaretur nullum. Et ideo si votum aut suffragium illius erat necessarium ad complendum sufficientem numerum, illius electio erit invalida propter illius defectum. Si tamen post electionis confirmationem detegeretur ejusdemque eligentis excommunicatio, nihil obstat electioni. Panormitanus tamen in cap. Veritatis, de dolo & contumacia, distinguit inter ipsos actus, quia quidam eorum (ut ait) geruntur auctoritate publici officii, ut judicare, Tabellionatus officium, aut procuracionem exercere. De istis dicit generaliter verum esse, quod tales facti per excommunicatum occultum semper valent, si illi actus sint civiles, si spirituales. Valent instrumenta confecta per occulte excommunicatum, valet electio facta per eum, valet sententia illius, valet collatio baptismi, & ordinis sacri. Sed circa actus civiles hoc specialiter annotat, quod si is in cujus favorem facti, erat conficiendus de illa excommunicatione occulte, erunt omnes illi actus retractandi. Neque his obstat quod Papa dicit in cap. Veritatis, de dolo & contumacia, ubi definit alienationem rerum Ecclesiasticarum factam ab Episcopo excommunicato, esse nullam: quia ille Episcopus, de quo Papa in illo capitulo talem protulit sententiam, erat publice excommunicatus, & ideo alienationem Ecclesiasticarum per illum factam, ipso jure erat nullam: si tamen ille fuisset occulte excommunicatus, valisset illa alienatio, & quidquid aliud simile per illum gestum fuisset. Sed est dubitatio de illo qui recipit ordines sacros ab occulte excommunicato, an possit actus illius ordinis sine dispensatione exercere, postquam sibi confiterit, Episcopus à quo ordines recepit, fuisse tunc excommunicatum.

De

De hac re non inter omnes Jurisperitos convenit. Nam glossa in capitulo, Ab excommunicatis, 9. quæst. prima, dicit, quod ille, qui recipit ordinem, non tamen ordinis executionem. Innocentius tamen in cap. 1. de schismaticis dicit, quod non solum recipit sacramentum, sed sacramenti executionem, si ille à quo recipit, erat occulte excommunicatus, aut hæreticus; sed ab Ecclesia toleratus. Et certe hæc opinio mihi magis placet, quia sicut in collatione sacramenti non attenditur malicia ministris, sed potentia Dei, qui per malum ministrum confert sacramentum; ita in collatione executionis sacramenti non attenditur malicia ministris, qui non habet executionem, sed attenditur potentia Ecclesie, quæ sacramenti sic suscepti executionem concedere potest. Nam in collatione sacramenti Sacerdos, aut Episcopus est solum minister, & Deus est qui illud sacramentum confert, prout Joannes Baptista de Christo loquens, dixit: Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videtis Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Ad hunc modum in collatione executionis ordinis Ecclesia est, quæ dat executionem, & Episcopus est illius minister. Quando ergo Ecclesia ministrum illum tolerat, tandiu per manus illius videtur concedere ordinis executionem. Omnia autem jura quæ dicunt ordinatos ab excommunicatis non recipere ordinis executionem, interpretanda sunt de publice excommunicatis, qui ab Ecclesia non tolerantur. Alii sunt actus civiles, qui non geruntur auctoritate publica, sed privata, ut sunt, emere, vendere, contrahere. Et de istis refert Panormitanus duas opiniones: Alteram Innocentii, dicentis omnes illos actus valere in occulte excommunicato, si non sunt spirituales: sed si sunt spirituales, ut electio, dicit non valere. Alteram opinionem refert, quæ est Hostiensis, dicentem nunquam actus illos ab occulte excommunicato gestos, valere, quando vergunt in commodum ipsius excommunicati: sed si cedunt in commodum alterius non excommunicati, dicit eos valere. Ut si contractus emptiois & venditionis fiat inter occulte excommunicatum, & non excommunicatum, non valebit contractus, si ille credit in lucrum excommunicati, sed si ex illo contractu lucratur non excommunicatus, dicit valere contractum. Et hanc suam opinionem confirmare nititur Hostiensis multis rationibus & auctoritatibus: sed eas omnes solvit Abbas in dicto cap. Veritatis, de dolo & contumacia, ubi pro viribus tuetur opinionem Innocentii. Mihi etiam multo magis placet opinio Innocentii, quam Hostiensis, sed magis placet sententia Richardi, qui (ut supra retuli) generaliter & indistincte de omnibus actibus ab occulte excommunicato gestis, si sint civiles, si spirituales, dicit illos omnes valere, etiam si postea detegatur illius excommunicatio. Nam de electione in speciali dicit esse validam, si confirmatio illius electionis fiat, dum dicit occulte eligentis excommunicatio. Tertia principalis conclusio. Quicumque commisit crimen aliquod, propter quod est à jure decreta poena suspensio, aut depositio, aut irregularitatis, est liber ab omni tali poena, si crimen illius est omnino per accidens occultum. Hæc conclusio sic generaliter prolata, conceditur multis Jurisperitis: sed glossa in cap. ultimo de temporibus ordinationum excipit ab illa irregularitatem ex homicidio contractam: quia homicida, quantumlibet occultus (ut illa ait) ministrare non potest etiam post peractam poenitentiam. Et hanc suam sententiam probare nititur per capitulum ultimum, de temporibus ordinationum, & per

Tom. II.

cap. Inquisitionis, de accusationibus. Et glossa continet Summa Sylvestrina in tit. Homicidium 3. quæst. 8. Summa Angelica citat quemdam Vincentium dicentem, quod si homicidium est omnino occultum, & egit poenitentiam, ministrare potest in ordine suscepto, & promoveri ad alium superiorem sine dispensatione. Quia (ut ait) Ecclesie non est obnoxius, cum peccatum illius sit occultum, ut dicitur in cap. Christiana, 32. quæst. 5. nec tenetur Deo, quia jam illi per poenitentiam satisfecit. Huic Vincentii opinioni (ut eadem Summa Angelica refert) consentiunt alii duo, videlicet Joannes, & Laud. hoc tantum adentes, quod dispensatio Episcopi sit necessaria, quamvis Papæ dispensatio non requiratur. Et eandem opinionem tuetur Abbas in cap. Ex tenore, de temporibus ordinationum, sed in suæ opinionis declaratione est aliquantum obcurus; dicit enim, quod si crimen homicidii est omnino occultum, ut distinguit contra probabile, id est, sic occultum, ut nullatenus possit legitime probari, tunc si habeatur respectus ad legem promotionis publicam, non est opus aliqua dispensatione, ut promoveatur ad ordines sacros, & in susceptis ministrare. Si verò respiciamus legem conscientie informatam ex lege positiva, tunc dicit necessariam esse dispensationem, non tamen declarat quis possit talem dispensationem dare, an Episcopus, an solus Papa. Summa Angelica in titulo Homicidium, quinto, quæstione prima, declarat sententiam Abbatis esse intelligendam de dispensatione Episcopi, ita ut illa sola sufficiat ut homicida omnino occultus, quamvis voluntarius, possit in susceptis ordinibus ministrare, & ad superiores promoveri. Et reddit causam ipsa Summa Angelica, quare hæc Episcopi dispensatio sit necessaria, sic dicens: Ne quis constituarer judicem in causa propria, existimando omnino occultum quod forte non est. Sed in verbis Abbatis est unum difficile intellectum, videlicet quid ille appeller legem conscientie informatam lege positiva. In principio illius cap. Ex tenore, dicit legem conscientie informatam aliquando à lege divina, aliquando à lege positiva. Ex quibus verbis videtur colligi, illum ponere tertiam quandam legem, videlicet legem conscientie distinctam à lege divina, & à lege humana, quam solam ille appellat positivam. Deinde, legem ipsam positivam distinguit in duas partes, quarum una informat (ut ille loquitur) conscientiam, altera publicum judicium. Itaque legem conscientie informatam lege positiva ille dicit, pro eo quod non Theologi aliis verbis clarioribus dicere solemus legem humanam, quatenus respicit forum conscientie. Est ergo sententia Abbatis, quod si homicida occultus agat, in foro judiciali petendo promoveri ad ordines, aut ministrare in susceptis, non indiget dispensatione, ut alterum horum juridice petere possit: quia licet dispensatione careat, non poterit illi petitio denegari. Sed licet non possit in foro judiciali repelli, quia occultum est crimen illius, ille tamen quia optime agnoscit crimen suum, in foro conscientie sine dispensatione Episcopali aliquod illorum agens, peccat. Et hanc Abbatis opinionem, quæ (ut dixi) est etiam Vincentii, & Joannis, & Laud. amplectitur Summa Angelica, & dicit illam esse notari dignam. In hac controversia fateor, me diu fuisse dubium, & necesse in quam me veterem partem, propterea quod quælibet illarum multos & doctos habet tuores, qui illam multis testimonis ex jure canonico sumptis, probare contendunt. Sed postquam rem ipsam diligenter percuratam sum, & textus ex utraque parte pro se oblatos accuratim inspexi, non potui non probare hæc Abbatis & aliorum

Ssss

ejus

eiusdem factionis sententiam, propterea quod plures & fortiores mihi videntur esse pro illa, quam pro alia rationes. Nam in illo cap. Ex tenore, de temporibus ordinationum, quaestio est de illo qui peccatum aliquod occultum tam grave commisit, quod si publicum esset, degradaretur ab ordine quem suscepit, & amplius non posset ad superiores ordines promoveri. Et nullum exprimitur in quaestione peccatum, sed omne in confuso proponitur peccatum, sub praedicta circumstantia vestitum. Huic quaestioni Papa respondet, mandans ut illius peccati perpetratori condigna poenitentia imponatur, & suadeatur illi, ut parte poenitentiae peracta, ordine suscepro utatur, quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum erat occultum, praecipit Papa, ut si promoveri voluisset, nulla ratione prohiberetur. Et in hac responsione Papa non excepit homicidium, sed sicut quaestio de crimine in confuso, praedicta circumstantia vestito, sine ulla expressione quaesivit, ita etiam Papa de omni crimine talem circumstantiam habente, sine ulla exceptione respondit. At si homicidium excipiendus esset, Papa illum expresse excepisset, prout alius illum fecisse ostendimus. Ubi igitur lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, prout dicitur in cap. Soluae, §. Notandum, de majoritate & obedientia, & l. Imperator, ff. de postulando. Praeterea, etsi illius capituli iuxta esset dubia, illam tamen deberemus iuxta benigniorem sensum interpretari, ut dicitur in regula. In poenitentia, de regulis juris, lib. 6. Constat autem benigniorem esse illius capituli interpretationem, si dicamus etiam homicidium perinde ac reliqua crimina in illo comprehendit, & homicidium non esse ab illa universali definitione exceptam. Oportet igitur litteram illius capituli ita interpretari, ut ab illius definitione non excludamus homicidium. Rursum, multi sunt textus in iure canonico, qui aperte docent, Ecclesiam de occultis criminibus non capere vindictam, ut in cap. Sicut tuis, & in cap. Tua nos, de simonia, & cap. Christiana 32. q. 5. At si homicida omnino occultus eo ipso incidere in suspensionem & irregularitatem, iam Ecclesia caperet de crimine omnino occulto vindictam. Deinde, quod hanc nostram opinionem fortissime confirmat, est, quod nullus est in toto iure canonico textus, qui homicidam omnino occultum excipiat ab ea lege & conditione, quam reliqua crimina suspensioni & irregularitati obnoxia tenent. Ergo sicut alia, quum sunt omnino occulta, sunt libera ab omni suspensione, & irregularitate, ita oportet ut etiam homicidium, quum fuerit omnino occultum, sit liberum ab omni suspensione, & irregularitate. Nam cap. Inquisitionis, de accusationibus, quod glossa, & alii qui contrariam videntur opinionem, pro se citant, nullo modo illis favet, quoniam in illo cap. (ut ex illius littera aperte constat) non fit sermo de crimine omnino occulto, sed de crimine pene occulto, prout est illud quod licet possit aliquibus paucis verbis comprobari, nondum tamen fuit deductum ad publicum iudicium. Nam quaestio quae in illo capitulo proponitur Papae ab illo definienda, est solum de crimine per secretum inquisitionem probato, de quo si quis fuisset in iudicio accusatus & convictus, deponeretur propter illud. Et huic quaestioni responderet Papa in homicidio, & simonia, & aliis similibus, si quae forte alia sunt, quae ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficii post peractam poenitentiam impedirent esse id faciendum per viam inquisitionis, quod fieret, si per viam accusationis procederetur. Sed quod per viam inquisitionis probatum est, iam non est omnino oc-

cultum, ut nunc de occulto loquimur. Et inde constat longe aliud esse negotium quod in illo cap. definitum est, ab illo quod nunc in praesentiarum tractamus. Si homicidium est non omnino, sed pene occultum, fateor illud non excusari a suspensione, aut irregularitate. Et hoc est aliquid non parum, in quo homicidium & simonia reliqua crimina excedunt: quia reliqua omnia crimina, quavis non sint omnino, sed solum pene occulta, excusantur a suspensione & irregularitate. Et haec sola est intentio illius cap. Inquisitionis, quae longe alia est ab intentione nostrae praesentis disputationis, in qua solum de peccato omnino occulto differimus. Profertur adhuc alia opinio pro se cap. Quaestum, de temporibus ordinationum, sed hoc non magis probat, quam cap. Inquisitionis, de quo nunc differimus. Nam etiam in illo cap. Papa differit solum de illis criminibus quae sunt pene occulta, id est, quae non sunt ordine iudicio comprobata, vel alias notoria non sunt: & de illis desinit quod non debent impedire illorum auctores, ne post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis ordinibus ministerent. Ab hac sententia excipit solos homicidii, & ita videtur haec Decretalis aliquid magis concedere, quam illa quae est in illo citato capitulo. Inquisitionis. Quia illa excipit etiam simoniam perinde ac homicidium: haec autem quae ponitur in cap. Quaestum, solum excipit homicidium. Et ita ista velut posterior videtur pro hac parte revocare illam priorem. Nam illa quae est in cap. Inquisitionis (ut ex illius inscriptione constat) fuit condita ab Innocentio Papa huius nominis tertio: haec autem quae est in cap. Quaestum, fuit edita a Gregorio Papa huius nominis nono, quem constat esse Innocentio posterioriorem. Est ergo solum homicidii crimen inter illa, quae non sunt notoria, quod non excusat illius auctorem a suspensione & irregularitate. Sed hoc nihil obstat nostrae sententiae, quia nos dicimus crimen homicidii tunc solum esse ab irregularitate excusatum, quando fuerit omnino occultum. Postquam ego opus hoc in publicum edideram, convocatum est iterum a Julio Papa huius nominis tertio, Concilium generale Tridentinum, quod a Paulo tertio praedecessore fuerat suspensum. Sessione igitur quarta huius Concilii sub Julio habita, multi canones ad mores pertinentes dati sunt, quorum septimus ad homicidii poenam spectat, & sequentibus verbis exprimitur: Cam etiam qui per industriam occiderit proximum suum per insidias, ab altari evelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine iudicio probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, neque illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat: sed omni ordine ac beneficio & officio ecclesiastico careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vi vim repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam & ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quaecumque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitana, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit, Hadenus Concilium Tridentinum. Hoc igitur decreto dato, iam mea sententia quam proxime protuleram iuxta verum antiquorum canonum sensum, necessario est rejicienda, & eam ex nunc reicio, quia Ecclesiae novum decretum statuenti, necessario obedire oportet. Ex hoc tamen novo Concilii Tridentini decreto vehementer persuadetur

detur meam sententiam de pena homicidii occulti fuisse ante hoc Concilium magis conformem iuri canonico antiquo. Nam si ex antiquo iure homicida omnino occultus incurritur poenam irregularitatis, non fuisset opus aliud de hac re in Concilio Tridentino statuere decretum. Ex hac tertia conclusione infero, quod si filius presbyteri ex matre conjugata genitus, sciat secreta per utriusque parentis relationem, se non esse filium mariti matris suae, sed filium presbyteri, dummodo hoc sit omnino occultum, poterit sine ulla dispensatione ad sacros ordines promoveri, & beneficium curam animarum habens recipere. Hoc corollarium probatur, quia si crimen occultum propterea quod occultum est, non inducit suspensionis aut irregularitatis poenam in ipso criminis auctore, multo iustius est, ut illam non inducat in alio, qui non est particeps peccati. Praeterea, causa propter quam crimen occultum non inducit irregularitatem, est, ne propter hanc causam infametur peccator qui erat occultus: sed etiam diffamaretur, si pro filio esset petenda dispensatio, ac si pro se ipso peti deberet: ergo sicut ipse excusatur, propterea quod crimen suum est occultum, ita etiam filius excusabitur, propterea quod crimen parentum est occultum, ne hac ratione aliquis illorum infametur. Juxta ea quae in hac tertia conclusione principali diximus de auctoribus criminum occultorum, quod excusantur ab irregularitatibus, in quas incidissent, si crimina publice commississent, dicere etiam oportet de violatione Ecclesiae, quae indiget reconciliatione. Nam si crimen per quod fuit violata Ecclesia, est omnino occultum, non est opus Ecclesiam reconciliare, sed abique reconciliatione poterunt in ea divina celebrari mysteria, etiam ab eo cui crimen aliis occultum fuit in secreto revelatum. Hanc sententiam docet doctor subtilis Scotus in quart. sentent. dist. 3. quaest. 2. & post illum Joannes Andreas in cap. unico de consecratione Ecclesiae lib. 6. & glossa in eodem loco, quae pro hac sententia nihil aliud ex iure canonico affert, nisi quod Ecclesia non iudicatur de occultis. Potest etiam hac sententia probari ex ipsa ratione consecrationis, aut reconciliationis Ecclesiae. Nam Ecclesia (ut docet S. Thomas q. 83. art. 3.) non ideo consecratur, quia illa sit gratiae susceptiva, sed quia ex ipsa consecratione assequitur quaedam spiritalium virtutum, per quam apia redditur divino cultui, ut videlicet homines devotionem aliquam ex loci reverentia concipiant, per quam paratiores fiant ad divina peragenda. Duplici itaque ratione (ut ille ait) templum materiale consecratur. Prima est, ut per illam consecrationem representetur sanctificatio, quam Ecclesia Catholica toto orbe terrarum diffusa, consequuta est per passionem Christi. Altera est, ut per illam ostendatur quanta sanctitas sit necessaria, ut quis Deum in se digne suscipere debeat. Et idem dicendum est de reconciliatione Ecclesiae consecratae, quae postquam sanguinis, aut seminis humani effusione, aut uno quovis modo violata fuerit, est iterum consecrandum, ut dicitur in cap. Ecclesiae, de consecratione dist. 1. Talis enim reconciliatio aut consecratio post violationem tam multo ceremoniarum apparatu ornata, non ideo fit, quia templum illud materiale sit capax peccati, sed ad hunc finem potissimum dirigitur, ut inde intelligat peccator qui templum cordis sui, quod iuxta Pauli doctrinam per peccatum violavit, quanta diligentia illud mundare & purificare debeat, ut Deum in illo digne suscipere possit. Si talis Ecclesiae reconciliatio non propter ipsam fit, sed propter solos peccatores erudiendos, ut inde discant se prop-

ter peccatum effectos esse Dei hospitio indignos; inde colligi videtur, talem materialis templi reconciliationem non esse faciendam, quando peccatum fuerit occultum. Quia per illam reconciliationem non possunt peccatores doceri, quantum oportet eos laborare ad mundandum corda sua. Nam cum peccatum sit adeo occultum, ut manifestari non possit, non intelligetur, talem reconciliationem in odium peccati fieri. Sed dubium esset, si crimen esset non omnino sed pene occultum, ita ut pauci scirent crimen esse commissum, & auctor illius non esset de crimine accusatus, an tunc oporteret Ecclesiam reconciliare? Ego credo quod non; quia si crimina omnia praeter homicidium & simoniam, secundum aliquos, cum sunt non omnino, sed pene occulta, excusant (ut diximus) illorum auctores ab omni suspensione & irregularitate, multo magis excusabit templum materiale, quod nullum commisit peccatum, nec est capax illius ab obligatione reconciliationis. Et potest probari per cap. Significasti, de adulteriis, in quo Ecclesia reconciliari praecipitur, propter hoc quod mulier adultera publice coram Iudice suum adulterium detexit. Ex quo a contrario sensu videtur sequi, ut quando crimen non fuerit publicum, non sit opus reconciliatione. Publicum autem hoc loco idem est quod notorium. Sed numquid, si post celebrationem Missae in tali Ecclesia factam, publicaretur in iudicio crimen, & fieret notorium, quod ante Missae celebrationem fuerat occultum, oportebit tunc Ecclesiam reconciliare? Credo quod non: quia celebratio Missae, quae secretam violationem successit, pro sufficienti reconciliatione tunc erit reputanda. Nam cum per Missae celebrationem Deus ipse corporaliter in Ecclesia assintat, talis corporalis assintentia sufficere mihi videtur ad omnem purgationem, & reconciliationem perficiendam. Quarta principalis conclusio. Quicumque commisit aliquod crimen, propter quod est aliqua poena civilis ipso iure imposita, etsi crimen sit omnino occultum, non est liber ab illa poena. Poenam civilem hic dico illam, quae non est pure ecclesiastica, prout est excommunicatio, suspensio, depositio, irregularitas, neque est poena corporalis. Poenam ergo civilem appello jam solum, quae est circa divitias, aut laica officia, aut dignitates laicas. Circa hanc conclusionem sic declaratam varia est Doctorum sententia. Abbas in cap. Absolutos, de haereticis, citat Philippum quemdam dicentem, tunc haereticum occultum incidere in poenam a iure impositam, quando illius haeresis probari potest, quia tunc potest manifestari, licet actu non sit manifesta. Post huius Philippi sententiam refert Abbas Joannem Andream tenere eandem opinionem, hac tamen addita conditione, quod processum fuerit ad probationes: quia probatio (ut ait) facit delictum manifestum, ut in cap. Cum olim, de verborum significatione. Si tamen non esset processum ad probationes, dicit illum non esse poenae subiectum. Hi duo Philippus & Joannes Andreas in hac sunt sententia concordantes, ut si delictum sit omnino occultum, non incidat in poenam illius cap. Absolutos, de haereticis. Hanc sententiam etiam docet Joannes Gerson in lectione tertia de vita spirituali animae. Verum hic non videtur loqui de illo occulto, de quo nos in praesentiarum loquimur; sed de illo occulto de quo in prima principali conclusione loquuti sumus, quod videlicet intra cordis secreta latet. Eandem Joannis Andream sententiam tuetur Summa Angelica in titulo, haereticus, §. decimoquinto. Eidem favet Summa Sylvestrina in titulo, Haeresis, primo, quaestione octava. Abbas tamen in praedicta loco contrariam sententiam docet, statuens regulam

lam generalem, quæ sic ait: Pœna ipso jure imposta afficit delinquentem quantumcumque occultum. Andreas Truaquellus in commentariis super l. Si unquam, in verbo, *Revertatur*, Codice de revocandis donationibus, eandem statuit regulam generalem, & ad illius probationem citat Dominicum in cap. Perpetuo, versu super dubio glossæ de electione, lib. 6. Hanc Abbatis sententiam, quatenus solum hæreticum respicit, ego tutatus sum in illo opere, quod de Justa hæreticorum punitione edidi, lib. 2. cap. 7. Nunc vero quia non de solo crimine hæresis, sed de omni crimine occulto dissero, illam universaliter statuere decrevi, dicens cum Abbate, pœnam civilem ipso jure impostam afficere delinquentem, quamvis crimen illius sit omnino & per accidens occultum. Hæreticus igitur, & læsæ majestatis reus, & quivis alius similis criminis auctor, quamvis crimen illius sit omnino occultum, est ipso jure privatus dominio bonorum suorum. Et potest hoc probari per cap. Accusatus, §. In eo vero casu, de hæreticis lib. 6. ubi Papa præcipit procedi ad confiscationem bonorum hæretici, qui dum viveret, non fuerat per sententiam declaratus. In quibus verbis id annotare oportet, quod Papa non præcipit, ut post mortem bona confiscentur, sed ut procedatur ad confiscationem per solam sententiam criminis declarativam. Ex quo aperte convincitur, bona illius, quando vivebat, & peccatum fuerat occultum, esse ex tunc confiscata: quia alias post mortem illius quando peccatum fuit detectum, non satis esset sententia criminis declarativa, sed oporteret illius bona per sententiam à Judice latam publicare, & confiscare. Præterea, probatur hæc conclusio eadem ratione, quæ superius probavimus secundam conclusionem principalem, quæ de excommunicatione disserit.

Qui crimen aliquod occultum commisit, & vere consummavit, habet, in se quiddam jure requiritur, ut incidat in pœnam ipso jure contra illud crimen inflictam: ergo ille necessario, tali lege stante, incidit in illam pœnam. Consequentia ista est notissima, & assumptum per hoc probatur, quod ad executionem pœnæ à jure latæ non requiritur processus, nec cognitio causæ: quia alias sententia à jure lata nihil differret à sententia per Judicem ferenda: sed solum requiritur, ut crimen sit consummatum, & post criminis consummationem ipso jure infligitur pœna. Quando autem crimen est occultum, æque potest esse consummatum, ac si committeretur in publico: ergo tunc etiam incidit in pœnam illius criminis auctor, ac si peccasset in publico. Quia nihil aliud ad pœnam à jure inflictam (ut dixi) requiritur, nisi vera criminis consummatio. Forte illi qui dicunt ad executionem sententiæ à jure latæ semper esse necessariam sententiam criminis declarativam, respondebunt non satis esse quod crimen sit consummatum, ut quis incidat in pœnam à jure inflictam, sed requiri sententiam declarativam criminis, quæ data, jam crimen erit notorium, & non occultum. Hæc tamen responsio nullatenus minuit hujus nostri argumenti vires. Quia licet juxta illorum opinionem requiratur sententia criminis declarativa, ad hoc ut fideus bona apprehendat, non tamen requiritur talis sententia ad hoc ut hæreticus sit privatus dominio bonorum suorum. Quia omnes illi, præter solum Archidiaconum, fiantur hæreticum à die commissi criminis esse privatum dominio bonorum suorum, quamvis non sit ex tunc privatus possessione illorum.

Ad solam igitur privationem possessionis secundum illos, requiritur sententia criminis declarativa, & non ad privationem domini. Si ad privationem domini non re-

quiritur sententia criminis declarativa: ergo quando crimen hæresis, aut læsæ majestatis, aut aliud simile fuerit occultum, auctor illius erit ipso jure privatus dominio bonorum suorum: quia ad illam pœnam nulla requiritur criminis sententia, aut causæ cognitio, sed sola criminis consummatio, quæ etiam est in occulto sicut in publico. At illa domini privatio est, quæ ipso jure contra talia crimina infligitur, & non privatio possessionis: quia hæc per Judicis sententiam infligitur. Vera est ergo nostra quarta principalis conclusio, quæ dicit, omnem criminis occulte consummati auctorem incidere in pœnam à jure propter illud crimen inflictam. Si pœna esset à Judice inferenda, tunc manifestum est in illam non posse incidere peccatorem occultum, quia Juxta debet judicare secundum allegata & probata. Quando ergo jura dicunt, Ecclesiam non judicare de occultis, nec de illis vindictam sumere, intelligenda sunt de judicio ab homine faciendo, quia ille antequam judicet, requirit causæ cognitionem, quam non potest de criminibus occultis habere. At in judicio aut sententia juris bene potest Ecclesia judicare de occultis, quæ extra cordis secreta prodierunt, quia ad tale judicium ferendum nulla requiritur facti cognitio. Contra hæc omnia forte aliquis mihi objiciet, quod ex probatione hujus quartæ conclusionis destruitur tertia principalis conclusio, quæ liberat occultum criminis consummatorem ab irregularitate & suspensione. Nam eodem modo arguet, quod suspensio aut irregularitas quæ est ipso jure inflicta, non requirit processum, nec causæ cognitionem, sed solum crimen consummatum, quod cum ita bene consummetur in occulto sicut in publico, ita bene causare oportebit irregularitatem si committatur in occulto, ac si committeretur in publico. Fateor quidem, & negare non possum, quod si argumento & sola ratione, & non auctoritate & decreto esset hæc res definienda, idem dicere oporteret de irregularitate & suspensione, quod de excommunicatione in secunda conclusione principali diximus, & nunc in hæc quarta principali conclusione de aliis civilibus pœnis asserimus. Sed jura per indulgentiam & benignitatem voluerunt hoc expresse permittere criminibus occultis, ut illorum auctores à suspensione & irregularitate, quæ ex illis provenire possent, essent liberi. Et quia hanc libertatem circa alias pœnas jura noluerunt criminibus occultis aperte concedere, oportet necessario juxta juris depositionem facere, quod in Clementina, Exivi de paradyso, §. Porro, ait. Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Hoc igitur loco sicut in aliis multis verum esse probatur quod glossa dicit in regula, In pœnis, de regulis juris lib. 6. In pœnis non valet argumentum ad similia, quod potissimum veritatem habet in lege pœnali, quæ sententiam continet latam. Et huic loco etiam servit id quod lib. 1. cap. 7. me dixisse memini. In lege pœnali potissimum veritatem habere id quod legislator dicere solet: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nec tamen ideo hæc dixi, quod sine ulla ratione decretum esse credam, ut criminis occultis auctor & consummator sit liber à suspensione & irregularitate, & non ab aliis pœnis. Nam magna hæc videtur esse ratio, ut sic decerneretur, quia nisi ita fieret, innumera orientur pericula animarum, & valde multi scrupuli quotidie suscitarentur, qui hominum conscientias vehementer vexarent. Ut igitur hæc animarum pericula tollerentur, & justa conscientis securitas daretur, iuste & rationabiliter Ecclesia noluit peccatores omnino occultos subjeci suspensionibus, & irregularitatibus: Et quia circa

alias pœnas non tot, nec tanta imminere animarum pericula, ideo noluit illas peccatoribus occultis dimittere.

Circa hæc pœnas in quas peccatoribus occultis incidit, annotare oportet unum simile illi quod circa excommunicationem occultum superius dixi. Si quis Tabellio, aut quivis alius in simili officio constitutus, commisset crimen, propter quod esset ipso jure privatus officio quoad crimen esset occultum, non teneretur renuntiare officio suo, si id sine famæ suæ dispendio facere non potest, quia non debet se ipsum infamare. Nam ob hanc causam (ut capite decimo hujus secundi libri in solutione primi argumenti dixi) si res quæ possidetur, esset non solum dimittenda, sed etiam alteri reddenda, non teneretur illam reddere, si illam sine famæ suæ jactura reddere non posset. Deinde, si ille Tabellio propter famæ periculum non renuntiat officio, quamvis sit ipso jure privatus illo, quoad tamen crimen est occultum, & officium retinet, valebunt instrumenta per illum confecta. Idem profus dicendum est, si prætor propter crimen aliquod occultum esset ipso jure privatus officio: quia omnia quæ illo tempore gessit, nisi alia ratione infirmetur, erunt propter publicam utilitatem valida, quæ nihil profus valerent, si crimen esset publicum. Hoc aperte docet Angelus de Perusio in Authentica de incestis nuptiis, num. 5. & pro hæc sententia citat l. Barbarius, ff. de officio prætoris. Possunt etiam pro eadem sententia adduci ea quæ in secunda principali conclusione diximus, ad probandum actus legitimos ab occulte excommunicato gestos, esse propter publicam utilitatem validos.

Ab hac nostra quarta principali conclusione excipien-

dam esse censet infamiam, quoniam etsi inter pœnas civiles illa sit numeranda, & aliquando ipso jure inferatur, si tamen crimen fuerit omnino occultum, numquam propter illud in talem incidit pœnam. Quia sicut fama ex publicia bonorum operum noticia oritur, ita etiam infamia quæ est illi contraria, oritur ex publica noticia criminis perpetrationis. Et hoc aperte probatur per id quod Callistratus Jurisconsultus ait in l. Cognovimus, ff. de variis & extraordinariis cognitionibus. Existimatio, inquit ille, est dignitatis illæ factus legibus ac moribus comprobatus, quæ ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur. Hæc ille. Ex quibus verbis constat famam ex bonis moribus, infamiam vero ex delicto nasci. Neutrum autem sine publica rerum noticia contingit, quod aperte ostendit Virgilius, dicens:

Ex templo Lybiae magna sit fama per urbes.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresque acquirit cundo.
Et Cicero ad Quintum fratrem scribens, dixit: Quod sit esse constanti fama, atque omnium sermone celebratum est. Et idem in Topicis dixit: Fama vulgi quoddam multitudinis testimonium est. Ex quibus omnibus constat famam esse publicam bonorum existimationem, & infamiam esse publicam existimationem, quæ de crimine alicujus habetur. Et inde apertissime convincitur, ut si crimen sit omnino occultum, in nullam propter illud incidat facti infamiam. Nam de juris infamia aliter dicere oportet, propterea quod illa ex vulgi opinione, aut existimatione non pendet. Et inde sequitur, ut per criminis occultationem ab illa non liberetur.

F I N I S.

